

se, neque se loco ambas movere, donec ipse eas vocet, imperatorem subsecutus, cum secunda acie in Gallorum

1495

globum sese injicit, acerrimeque pugnans eum disjicit: neque imperatori modo auxilium peropportune attulit cum illius acie se conjungens, sed magnum etiam addidit suo adventu ejus militibus animum. Itaque ambæ acies parvo temporis spatio magnum Gallorum numerum occiderunt, magnum ex suis amiserunt. Rex cum paucis relictus, admonitus a suis pugnantibus se subripuit. Eodem fere tempore acies tertia, cui Severinas prærerat, primam Gallorum aciem consecuta, pedem statim retulit, non ausa, vel potius non jussa progredi. Omnibus autem equitum aciebus, quæ ad regis exercitum contenderunt, idem fere perincommode accidit, ut & flumine transeundo, & ripis superandis, & faxis pervadendis & virgultis, ac cœnosa via conficienda, multa etiam pluvia, non solum ordines servari non potuerint, sed complures prolaberentur, complures se medio itinere continerent, multi aliorum flecterent, ut parva eorum pars prælio interfuerit. nam milites plerique omnes, exceptis ducentis, Genua Veneto duce, paucisque ex imperatoris comitatu, qui equitibus interjecti ejus latus muniebant, pugnam detrectaverunt. At vero Itali equites levis armaturæ, quos una cum Græcis imperator jufferat ab hostium tergo levum latus montium capere, atque ab latere adverso in eos impetum facere, ubi impedimenta conspexerunt, in ea spretis imperiis prope omnes convolaverunt, custodibusque aliquot occisis, ea rapere atque abducere contendebant: quos Græci equites imitati, idem fecerunt, exceptis eorum ducibus, qui cum paucis ad hostes laceffendos contenderunt. Ea res magna ex parte reipublicæ victoriā interpellavit: nam si in hostium acies ab latere, ut debabant, eratque eis imperatum, ii omnes impetum fecissent, Galli se pugnæ subducere sine certa clade non potuissent. tametsi alia ex parte casus adjumento atque præsidio Gallis fuit: duæ enim equitum acies, quemadmodum Rodulfus imperaverat, ne se loco moverent,

præ-